



CLASSIS VII.

DE

LOHOCH ET ROB.

LOHOCH SIVE ECLEGMATA.

LOHOCH DE TUSSILAGINE SIMPLEX.

R₂. Radicum Tussilaginis recentium — libram unam.

Decoque in Aquæ fontis libris quatuor ad consumptionem medietatis: tunde, & pulpam per fectaceum secundum artem trajectam in proprio decocto dissolve; quo facto adde

Mellis despumati — libras duas.

Recoque omnia ad justam consistentiam Lohoch.

Usus in tussi, & aliis pectoris affectibus.

LOHOCH DE ALTHÆA SIMPLEX.

Fit eadem ratione ac Lohoch de Tussilagine, quocum etiam viribus convenit.

LOHOCH DE SCILLA.

℞. Scillas crudas ——— tres vel quatuor.

Secentur eburneo cultello: terantur in mortario marmoreo ligneo pistillo, ut succus exprimatur; deinde fume

Succi istius depurati,
Mellis despumati, ——— ana libram unam.

Coque simul ad justam Lohoch spissitudinem.

Materiam crassam, & coctu difficilem in partibus respirationis expulsionem facilem reddit.

LOHOCH DE PSYLLIO.

℞. Mucilaginis seminum Psyllii secundum artem extractæ — uncias duas,

Sacchari albi ——— libram unam.

Clarificato Saccharo, & in syrupum cocto admisceatur Mucilago, & cum eo inter coquendum agitur, donec justam acquirat Lohoch consistentiam.

Tenuēs & acres humores in pectus defluentes condensat.

LO-

LOHOCH DE TUSSILAGINE COMPOSITUM

JACOBI MANLII.

℞. Radicum Tussilaginis ————— libram unam,

Decoque ad extractionem pulpæ, ut in Lohoch
simplici: in decocto expresso dissolve

Sacchari albi ————— libram unam & semis.

Coque in syrupum, & paulatim admisce

Pulpa extractam Radicum Tussilaginis,

Pulpæ Passularum ————— uncias duas,

Pineorum contusorum ————— unciam unam & semis,

Succi Glycyrrhizæ ————— unciam unam.

Remove ab igne, & adde quæ sequuntur subtili-
liter pulverisata,

Cinnamomi,

Macis, ————— ana scrupulum unum,

Croci,

Caryophyllorum, ————— ana scrupulum semis.

Misce exactissime fortiter agitando, ac in usum
reponere.*Ad eadem valet ad quæ Loboch de Tussilagine simplex,
sed efficacius.*

LO-

LOHOCH DE PULMONE VULPIS

MESUÆ.

R. Pulmonis exsiccati Vulpis,
 Succi Glycyrrhizæ,
 Foliorum Adianti albi, idest Rutæ murariæ,
 Seminum Anisi,
 Fœniculi, ——— ana unciam unam,
 Sacchari albi ——— uncias quindecim.

Dissoluto Saccharo in sufficiente quantitate Aquæ Pulmonariæ, ac in syrupum densato commisceantur reliqua subtiliter pulverisata, & agitentur simul ad justam Lohoch consistentiam.

Ulcera pectoris ac pulmonum abstergit, & consolidat.

ROB SIVE SATÆ.

ROB DE OMPHACIO SIMPLEX.

R. Succi Omphacii ——— quantum placet.

Coquatur per se in vase terreo ad justam consistentiam Rob, quæ aliquanto spissior quam mellis.

Ventriculum refrigerat, & adstringit.

Pos-

Possunt eadem ratione e succis variorum fructuum Rob simplicia parari, quæ tamen apud nos usum vix præstant.

ROB DE RIBESIIS.

℞. Succı expressi Ribesiorum ——— libras duas,

Sacchari albi ————— libram unam.

Coquantur simul ad justam Rob spissitudinem.

Refrigerat, sitim compescit, biliosas vomitiones sedat.

ROB JUNIPERINUM.

℞. Granorum Juniperi maturorum — libram unam.

Decoque in Aquæ fontis libris tribus ad consumptionem tertiæ partis, cola & fortiter exprime: in expresso dissolve

Sacchari albi ————— libras duas.

Rursus coque ad justam Rob consistentiam.

DIACODION SIMPLEX GALENI.

℞. Capita Papaveris albi mediocris magnitudinis, itemque mediocriter matura — numero viginti.

Macera per horas viginti quatuor in libris tribus
Aquæ

Aquæ communis; postea decoque, quoad capita prorsus mollita fuerint: cola, & in expresso dissolve.

Mellis despumati ————— libras duas.

Iterum coque ad justam Rob consistentiam.

Somnum conciliat.

Dosis a drachma una ad drachmas duas.

ROB SAMBUCINUM.

℞. Succī expressi, ac depurati Baccarum Sambuci ————— libras duas,
Sacchari albi ————— libram unam.

Fiat Rob secundum artem.

Sudorem ac urinam ciet, affectibus uterinis prodest: copiose assumptum serosos humores dejicit.

Dosis a drachma semis ad drachmas duas.

ROB EBULINUM.

Fit ex Baccis Ebuli eadem ratione ac Rob Sambucinum, viribusque ab eo parum differt.

CLAS-